



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 9. An qui aliquid gratis vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde  
reddi impotentem ad solvenda debita, peccat contra Justitiam, & tenetur  
accepta restituere, licet eum ad id non induxerit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

**Q. 8.** *An debitor potest solvere totum debitum creditori non petensi, si ipse non sit solvendo aliis, qui pariter non habent hypothecam, nec privilegium?*

*Resp. Neg.* Quia faceret injuriam aliis, qui Jus habent, ne alter carens privilegio, & actione ipsis præferatur: nam, spectato jure naturali, bona debitoris, quæ omnibus debitibus solvendis non sufficiunt, sunt pro rata secundum proportionem dividenda creditoribus æquale Jus habentibus, & quorum nullus habet Jus prælationis: nam sunt æqualiter iis debita. Multi excipiunt, si unus creditor sit in gravi necessitate, non alii; quia debitus ordo charitatis exigit, ut præferatur aliis, qui cum non ita indigeant, non sunt rationabiliter inviti.

**Q. 9.** *An qui aliquid gratis, vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde reddi impotentem ad solvenda debita, peccat contra Justitiam, Et tenetur accepta restituere, licet eum ad id non induxit?*

*Resp. Aff.* Est communis. teste De Lugo. Prob. Quia talis injuriam infert creditoribus, nam cooperatur injusto impedimento, quo debitor reddit sibi impossibilem solutionem: sive concurrit efficaciter ad injustam alienationem, & injustitiam contra creditores à debitore admissam: quælibet enim alienatio ad suum valorem, & efficaciam requirit acceptationem.

nem. Et verò (ut ait De Lugo) ad damnificationem creditorum non minus conductici acceptatio tua, quām inductio: si enim tu non acceptares rem, maneret adhuc apud debitorem, & ipse non esset impotens ad solvendum: ergo per acceptationem non minus, quām per inductionem cooperaris ad damnum, quod creditoribus infertur. Imò tu compleas, & perficias illud, quod per oblationem debitoris solum erat inchoatum, & quasi in affectu, per acceptationem verò perficitur, & ponitur in effectu.

## CAPUT VI.

*De Causis excusantibus à restituitione,  
vel ejus dilatione.*

Q. I. **A**N remissio creditoris excusat à restituitione?

**R**esp. Aff. Si sit legitima: quia per illam condonatur jus exigendi, & accipiendoi solvitonem: ac proinde tollitur in debitore obligatio solvendi, quæ postea non reddit; nam obligatio semel extincta minimè reviviscit; L. 9. Cod. De remiss. pig. Deinde sicut creditor potest jus futuri, quod habet in debitorem, alteri donare, ita etiam ipsi debitori, potest remittere; nam remissio est quædam donatio. Ut autem hæc remissio sit legitima, & verè liberet